

pu in L.R

VITA

SATIRAM COMPOSIT

I. I. HARTMAN.



LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL
1924.

Bibliothèque Maison de l'Orient



135793

VITA

SATIRAM COMPOSUIT

I. I. HARTMAN.



LUGDUNI-BATAVORUM
E. J. BRILL
1924.

L. S.

Hoc carmen venustum, repertum inter scripta ab Hartmano nostro relictum, uxor eius dono dedit I. A. H. Baroni A Zuylen à Nyevelt, cui uni poeta ipse id quondam inspiciendum commodaverat. Vir nobilis, qui non solum artis musicae peritissimus est sed etiam litterarum humaniorum assiduus cultor fautorque, nobis hanc veniam rogantibus benevole permisit ut in Mnemosynes bibliothecam, quam amicus noster defunctus tot praeclaris commentationibus per annos multos ditavit, postumum quoque hoc opusculum reciperetur. Quo beneficio quantopere nostram litterariam rempublicam sibi obligaverit sectatores Camenae Latinae omnes grato animo agnoscent.

P. H. D.

F. M. Iac. fil.

C. W. V.

VITA.

SATIRAM COMPOSUIT

I. I. HARTMAN.

„Ah, pereas, bellum”, clamabat rusticus ille
Comicus; et quoties haec est repetita per orbem
Vox deplorantium tot funera totque pericla
Sustentata diu! Sed vix succrevit ab illis
Altera progenies, et iam vestigia nulla
Reliquisse sui pestis prior illa videtur
Mentibus in levibus; nam iam nova vexat Erinnyes
Nunc alias partes terrarum, nunc et easdem;
Saevior et semper, semper crudelior exstat
Horrisoni vis illa mali; crudelius usque

Ingenium humanum fieri miratur et ipsa
 Gens humana: dolis (quam diris quamque eruentis!)
 Adstupet, ecce, suis, nec sese agnoscit in illis.

Bella gerunt homines. Quid vult sibi dira voluptas
 Sanguinis et caedis? Lucri quid saeva cupido
 Promittit miseris? Agedum, circumspice, noris:
 Contemplare virum, decorant cui pectora vittae
 Cum crucibus: portant mutilatum lignea crura;
 Ille assem rogat et narrat sua praelia caecus;
 In tabula pictam demonstrat navita puppim,
 Se salvo comites quae mille ad Tartara traxit
 Icta latente malo: narranti lacrima manat,
 Porrigit et dextram tremulus, nam quinque reliquit
 Sub riguo tecto gracili cum matre puellos,
 Dum friget focus atque vacat panaria cella.

Bellorum hoc pretium non ignorare potestas
 Est homini cuiquam, sed bellum provocat ille,
 Ille parat; patriae decus est huic semper in ore,
 Huic vicinorum rabies artesque dolosae.
 Hostis sic homini fit homo non cognitus ante;
 Hinc lacrimae cunctis, rident sed machina belli
 Ars quibus est et fallacis genus omne veneni,
 Quodque in corpora quodque in mentes insinuat se.

Bella gerent populi. „Quo tandem”, quaerimus, „usque?”
 An dubitatur adhuc quin finem ponere bello
 Bella sit in fatis? Aequatas vidimus urbes
 Una luce solo magnas, provincia tota
 Attonitis nobis antiquam denique cretam
 Monstrat, humo quae tecta fuit per saecula multa.
 Exspectantne homines, donec secedat in orbem
 Terra duos, dein mox rabioso instincta furore

Sese ipsa excindat? Sic fiet, ni resipiscat
 Qui sapiens est dictus homo, sed belua nunc est,
 Aut erit, immanis. Sed non Divina Voluntas
 Cuncta perire sinet; veniet nam tempus, abunde
 Cum genus humanum solvisse videbitur illam,
 Quam sibi conscivit fraterno sanguine culpam;
 Tum melior pars maiorem resipiscere coget
 Inque bonum commune omnes iam foedera pangent:
 Arma feras pellent parvusque erit usus in armis,
 Atque hominem defendit homo, fera bella quiescent.
 Nam cum quisque velit se vivere, vivere nulli
 Eripiet, sibi quem comitem natura creavit.

Vivere quisque volet, sed veram vivere vitam
 Quae nec luce caret puri nec flaminis aura.
 Non homini poterit posthac imponere talpae
 Sacra fames auri mores, nec dira cupido
 Gemmarum, tandem didicit quoniam esse malorum
 Cunctorum hunc fontem, bella esse hinc omnia nata;
 Nam pax pauca sibi quaerit quae terra recondit.

Non erit e caecis latebris qui protrahat istam
 Horribilem massam igniparam, quae funditus omnem
 Evertit vitam humanam rapuitque quietem.
 Hinc etenim natus daemon, Furiis similis qui
 Exagitat cunctos semper crepitante flagello.
 Nam quae sors hominum nunc est? Qua nulla tyrannis
 Fingere servitium potuit crudelius ullum.
 Quis vere vivit, quis sese vivere sentit?
 Proripimur cuncti: quis non festinat anhelus,
 Nil ut agat? Quis non alio properare laborat
 Tempus ubi perdat? Nostram omnes spernimus urbem
 Et fugimus patriam. Cupimus nam visere gentes
 Usque alias aliasque urbes, sed visere quid nunc
 Dicitur? Huc illuc empto monstrante magistro

Circuagi, quacunq̄ue liber monstraverit ipsi,
 Ille etenim simulatq̄ue novum ver ingruit, ad se
 Arcessit pecudem docilem, Sanctoque Sepulcro
 Impositum ostendit templum, perque omnia ducit
 Quae loca Christicolis sancta pietate coluntur,
 Utpote qua posuit vestigia Christus, ubique
 Substitit ut miseros consolaretur et omnes
 Iudicium summum iamiam adventare moneret,
 Denique ubi peccata luit communia solus
 Sanguine vulneribusque suis; quid curat at ista
 Grex inhians? Quid mente agitat? Quod scilicet ipse
 Pastor: „erit finis quando? Quid solvere debet
 Quisque sua pro parte? En mensis proximus: idem
 Pastor oves alias exspectat ad ostia Nili.
 Has numerat, navemque iubet conscendere, possint
 Ut deserta sibi spectatas Pyramidasque
 Narrare et rietu quam sint longo crocodili.
 Martis adest mensis: quisnam ille adscendit ad arcem
 Cecropiam? quem grex sequitur non passibus aequis?
 Consistunt, resonat: „Pericles”, dein unus et alter
 Annorum numeri, mox audis nomina multa
 Clarorum ingenio misere distorta virorum;
 Monstratur Salamis, sancta et monstratur Eleusis
 Quaeque aliae sedes hac conspiciuntur ab arce.
 Aut nimio spatio distantes lumina fallunt.
 Paschales redeunt feriae, delubraque Petri
 Orbilio indocto fiunt spectacula nostro
 Commonstranda novis, dederunt quos acta diurna,
 Discipulis. Hos inde trahit quacunq̄ue ruinae
 Antiquos Romae proceres populumque loquuntur.
 Agminibusque aliis superaddet saepe catervam
 Ille suam, possint ut cuncti tempore parvo
 Historiae magnam partem vidisse videri
 Sub duce communi docto recitare libellos
 Doctrinae variae, quam non intelligit ipse.

Se rapit hinc: Solymis debet nam stare paratus
Cum novus annus adest atque instaurare laborem.

Sic homines nunc se delectant, sic sua vulgo
Otia disponunt, namque est e pluribus unus
Dux meus ille, gregem nec frustra convocat ullus.
Sic ludunt homines, at qui nunc seria tractant?
Cuique suus labor est oneri; quis dicere possit:
Se delectari studio doctoque labore?

„Officium facito” cathedra clamatur ab omni:
Ni servum fieri me vis, subiunge „libenter”.
Illa tamen vox nunc, eheu, plerumque tacetur,
„Officium” remanet: „ne delectere labore,
Aut tibi verbum istud spernendum nomen inuret.

Collige, dispone et scriptores atque poetas
Excerpe, ut crescat multo tibi maior acervus
Quam quem rivalis poterit venundare iamiam”.
Festinato opus est: haec lex nunc unica regnat,
Sive vaporina est, seu carbonaria mavis
Audiat; est etenim carbonis maxima culpa,
Primaque, mortales cur tandem ceperit istud
Insanum studium properandi, quo perit omnis
Omnibus in rebus dulcedo grata laboris,
Effectique operis quae mulcet corda voluptas.

Nam miseros quid nunc memorem quos quaerere victum
Assiduo manuum cogit sors dura labore?

Ah, miseri, miseri! nunc sors haec dura profecto
Est cur dicatur, quia nulli dicere ius est:

„Haec mea sunt. Opus hoc equid placet, an magis illud?
Agnoscisne manum, docuit qui cuncta, magistri?
O bene quam memini mihi gaudia quanta pararit
Ianua quae decorat nunc aedes divitis Alphi,
Et quam difficilis fuerit structura fenestrae
Quae nunc laudatur; nostro tamen, ecce, camino
Glorior ipse magis” Nam quis iam ponere totum,

At cum sole nives liquefactae plana relinquunt,
 Albicat atque nihil nisi summa cacumina montis,
 Monstratore vago felix Helvetia gaudet,
 Invictoque die stat et illic turba parata
 Pondera non metuens, metuens non illa periculum:
 Namque umeros saccus gravat et calx ferrea plantas;
 Dextra tenet baculum munitum cuspide acuta,
 Fulgentem laeva et non parvi ponderis axem.
 Et modo grex totus — visum sic namque magistro —
 Navigat, aut rapitur praeruptos praeter abyssos
 Impositus raedis perque et glaciemque nivemque.
 Pars modo, dum merito fruitur pars altera somno,
 Traditur indigenae, miseris qui fune ligatos
 Per glaciem aeternam montem conscendere celsum
 Cogit et hinc salvis ad deversoria nota
 Monstrat iter. Reduces miratur cetera turba,
 Anxia quae tantum ad bellum spectavit euntes;
 Ne tamen interea nequicquam tempus abiret,
 Strenuus hic flores Alpinos... emit in urbe,
 Ille avium plumas, quibus est in culmine nidus;
 Pilea victorum his ornant, sua nec minus ipsi.
 O quanto excipiet cunctos mox patria plausu!

Longior at iusto ne sim, qui terminus anno
 Exacto maneat iam raucum discite: mirum!
 Et patriam visit nostram. Bolswardia namque,
 Frisiacum oppidulum, sellas conservat in aede
 Egregie sculptas, quibus olim tempore sacro
 Sancta cohors procerum sancta gravitate sedebat.
 Hic quoque adest noster; mirantibus explicat Anglis
 Quid sibi quaeque velit tabula et quid quaeque figura;
 Multaque ructatur docte de lumine et umbra
 Et quae praeterea multo sudore quotannis
 Ipse sibi inculcat, ficta gravitate loquenda.
 Hic operis finis, dimisso nam grege pastor

Sit licet exiguum, discit? Dediscere cunctos
 Ipse tuis oculis cernis, nec tempore longo
 Huc fore perventum ut nemo possitve velitve.
 Huic rotulas facere, huic rotulis incidere dentes
 Unicus est labor ad tenebras a lumine primo:
 Hic acuit clavos, capita hic imponit acutis,
 Et quae tracta aliis hic tingere fila iubetur.
 Namque fori lex haec, ut solus vincere possit
 Et caput inde referre unctum, cui copia mercis
 Maxima, quam minimo vendat, mox deinde novorum
 Scrutorum ingentem proventum deferat illuc.
 Hinc illud: „propera, ne nos vicinus Enipeus
 Praevertat: viden ut iam nunc festinet anhelus?”
 Hinc crepitant ignes, obtundit malleus aures,
 Hinc oculi fumo lacrimant et machina sudat
 Humanam simulans faciem, sed machina vere;
 Et miramur adhuc, quod semper milia plura,
 Quae natura homines genuit, minitancia pugnīs
 Brachiaque et torvos vultus ad sidera tollunt
 Et: „tandem volumus nos, nos quoque vivere” clamant?
 „Nam quae vita fuit nostra hactenus? Omnia dêrant,
 Quae poterant aures suavi mulcere susurru,
 Atque oculis laetos fessis praebere colores.
 In tenebris fumoque diem vix cernere nobis
 Contigit, aut certo veram discrimine noctem.
 Nec nox ipsa dabat requiem, quae sola voluptas
 Iam poterat fingi miseris: nam membra grabato
 In duro vigiles torquebant languida curae:
 „Surgendum mane est!” haec vox inimica soporem
 Pellebat nunc, nunc lemures prodire iubebat
 Flammantes et anhelantes et semper eundem
 Invisumque magis properantes usque laborem”.

Cuique labor suus est odio, nam non sibi quisquam
 Exercetve manus, durum novitve magistrum

Cuius ad arbitrium se nocte dieque fatigat,
Sed „sociorum” audit semper „collegia”, fenus
Qui capiti extorquent (mirum) capite haud minus ipso.
Vulcani quales! et qualis Iuppiter ille
Regnator mundi! Frendens sibi quisque reclamat
Inde suam partem, nec quidquam cogitat ultra.
Nam solidum ut sit opus limatumque arte fabrili
Quid refert? „Age, sat bene fit quidquid cito fit sat.
Haud decus, haud ulla ars, quaerenda est copia tantum,
Ut pretio vili vendatur nostra supellex,
Sit fragilis licet, et quae nos alimenta paramus
Corporibus noceant quamvis, vescatur iis gens
Tota hominum, fieri si quit, toto orbe bibantur
Quae nos concoquimus, male sana, at vilia cuncta.
Vestimenta paret vilissima machina nostra
Vita quibus brevis est (opus est sartore sed illis
Assiduo, nec forma manet, mutantque colorem),
Ornamenta domus et corporis arte sine ulla,
Sed mirabiliter vario splendentia vitro,
Machina nostra vomat, mox provolvenda cloaca:
Denique sit quidvis, crescant modo fenera, donec
Cuique domus socio de marmore regia surgat”.
I nunc atque tuum felix extolle laborem
Arte tua laetus, millesima tu rota cum sis
Vel potius servus mediastinusque rotarum.
Ah, ah, ne laetare, opifex, ne gaudia tangant
Ulla tuum pectus! Semper sis tristis, acerbus,
Sit tibi vita odio, vitae carbone notatus
Quisque dies atro, cupias tua rumpere vincla,
Et vitare locum, tibi qui stridore rotarum
Perpetuoque metu mortis sensum eripit omnem,
Mentis et obtundens aciem, corpusque gravatum
Extenuans, annis paucis ad Tartara mittit
Te iuvenemque senemque simul, cui nulla voluptas
Obtigerit, quam non turbarit cura metusque,

Uxorem ne deficeret pullosque tenellos
Sustentans aegre macilenta cadauera victus;
Felicem, simul et si non solacia caeli
Eripuere tibi doctores, spemque fidemque,
Quos iuvat omne sacrum et quidquid non corporeum sat
Deridere iocis et detrectare malignis.
Praecipue tamen, heu notum nimis, ipse laborem
Detestare tuum, cuius nunc poscere maius
Desistis nunquam pretium: tibi nempe parari
Et sociis primum, cunctae mox denique vitae
Nescius exitium. Quid enim prodesse putatis
Argentum atque aurum? Num quisquam vescitur istis?
Charta famem sedare potest, quae milia multa
Nummorum loquitur? Numquid variare laborem
Assiduum poterit miseris et semper eundem?
Hoc etenim vestram sortem contristat et usque
Suffundet squalore novo quod nulla voluptas
Vos manet: usque eadem crudelis machina mentem
Exercere vetat; satis est si crura manusque
Horarum spatio fuerint exercita certo;
Vix oculis opus est, cerebrone opus esse putemus?

Ah, miseret, miseret vestrae me, credite, sortis;
Non tamen ideo, certe non praecipue, quod
In tenui victu totum consumitis aevum,
Hoc etenim damnumst paucis reparabile nummis,
Quidque est vilius his? At nulla pecunia pondus
Allevat, ad terram quod vos noctesque diesque
Deprimit, incassum quod tot periere labores,
Utpote qui nullis vos ipsos fructibus unquam
Laetificent: trahitis, pulsatis, caeditis atque
Torquetis lora et funes gracilesque lacertos,
Mens hebet et torpet, cui nil addiscere detur:
Vespera cum venit, quis est qui dicere possit:
„Hoc mihi perfectumst hodie”, sed milia multa

Quisque sibi numerata tenet vel pondera rerum
 Appensa; at quoniam nunquam quid singula possint
 Quidve velint norit, nil ultra quaerere curat,
 Sed magis atque magis spirans fit machina, donec
 Ne spirare quidem possit, sed frigidus atque
 Immotus tumulo succedat, mortuus esse
 Nunc habitus vulgo, qui nunquam vixerit ante.

O tandem, tandem simulatae taedia vitae
 Vos capiant, iam nunc subitam deponcite mortem,
 Aut vitam veram, quam nulla pecunia maior
 Praestiterit luxusve ullus vel corporis ullum
 Delenimentum, sed mens sibi conscia vitae!

In vobis, quis nulla fuit spes hactenus ipsis,
 In vobis, nocti servos quos ipse diurnus
 Addicit labor, in vobis quos aeris egestas
 Exagitat, miseri, quibus irrita carmina fundunt
 Veris aves, quos nec dulci delectat odore
 Floribus aut variis pratum, vel lumine caelum,
 In vobis spes omnis erit! Consurgite et eia
 Consortes miserae vitae durique laboris
 Undique contrahite in foedus, legemque sacratam
 Figite, dein cuncti cunctis date iusiurandum:
 Non fore qui posthac ulla ratione moveri
 Possit, ut in terrae venas se mergat apertas,
 Sed potius cunctos unitis viribus illas
 Clausuros, fiant iterum ut maneantque latebrae
 Quo penetrare queant neque homo neque lumina solis.
 Hae teneant pestes antehac quaecunque tulerunt
 Exitium certum, non ulla detur ad aurum
 Ire via vel ad argentum, sed caecius illis
 Abscondat barathrum lapides atrosque malique
 Omnigeni fontem; servent sua Tartara massam

Exsecrandam illam, mox hanc non oppida norint,
Non urbs aut pagi. Sic demum saecula vere
Humano generi non indignanda redibunt.
Nam sua cuique domus praebebit gaudia: sedes
Haec fiet stabilis, stabulo quam dispar ab illo
Unde volant et quo revolant, urgente labore
Insani domini, tempus qui perdere cogit
Nec sinit e vita mansuros carpere fructus
Auctoriq̄ suo securos reddere vitam.
Hic etenim proprio deiectus stipes in horto
Ad sese placidam turbam laetamq̄ vocabit
Elicietq̄ suo sermones lumine saepe
De propriis rebus de communiq̄ labore.
Hic narrata sibi narrabit, lecta sed ille.
Materiem senior sibi sumet tempora prisca,
At iuveni tempus praebebit somnia praesens,
Dum loquitur compar spem consiliumq̄ futuri,
Omnibus et mentem exhilarant aut ruris opella
Mane instauranda aut positae bene praemia lucis.
Dat focus hic victum cum laetitiaq̄ calorem,
Dat lucis quoque quod satis est, nam tempora nostra,
Progeniem peperere minus cui scripta novella
Esuriuntur — an haec, quaeso, tibi forte videtur
Barbaries? Reputa num quidquam copia cuiquam
Qua nunc obruimur, quae rumpit serinia nostra,
Profuerit: digitis vix est pervolvere parvam
Nedum luminibus, partem. Quae gratia tanta,
Pulveris impuri toties quem combibis ore?
An tibi forte putas commentis ex alienis
Heu quam saepe sonum quae praebent, lumina nulla,
Ingenio quod dēst suppleri posse? Quid illa,
Quae petimus cuncti, sapientia maior habebit
Quod nos exhilaret? Quamvis sit maxima, nonne
Iam nunc perspicitur semper mortalibus aegris
Exiguam partem concedi, plura negari,

Et quo quidque magis doctorum quisque laborat
Scire, magis tenebris densis obvolvitur illud?

Quantillumst, eheu, quod chartae tradere possim!
„Sudavit scriptor, video”, sibi quisque loquatur,
„Hoc satis est, nobis nunc otia grata relinquat”.